



V I R O N O B I L I ,

Militari jampridem & Consulari , nunc apud Monspelienses

PRIMARIO CONSULI PERPETUO,

D. D. JOANNI DE MANNI

V. D. C.

JOANNES GREGORIUS PALTZEL, Trevir A. L. M.

QUÆSTIO MEDICA

PRO BACCALAUREATU

MANE DISCUTIENDA

IN ALMA MONSPELIENSIVM MEDICORVM ACADEMIA

PRÆSIDE

R. D. JOANNNE BEZAC

PROFESSORE REGIO.

*An Ischuria venæ sectio?*

I.



SCHURIA est, cùm prorsùs urina supprimitur. E duplici autem capite fit, cur homo mingere nequeat; vel quia lotium vesicæ non suppeditatur, vel quòd licet in eâ collectum sit, imò & interdùm copiosè, ejici tamen non possit. A priori casu Ischuria falsa seu notha, à posteriori vera & legitima.

Vesica lotium non accipit, aut quoniam id per renes non fecer- nitur, aut quia non adducitur à renibus ad vesicam. Feriantur multifariàm renes. Si liquidum urinosum à sanguine non accipiant, ut cùm san- guis in ardenti febre concitatore rapitur orgasmo, cùm is est sero destitutus; cùm alibi serum ipsum deponitur, ut in hydrope, licet non omni. Si obstructi fuerint, aut compressi canaliculi renum secernentes, si atoniâ flaccescant sub- sideantque, si fuerint penitus absumpti. Comprimentur verò & obstruuntur hi ductus lapillosâ, tartareâ, glutinosâ, concretâ, purulentâ materia, grumis item sanguineis, & cùm renes inflammantur. Observarunt quoque Bartholinus.

*Hechstetterus, Horstius, Schenkius* quosdam Ischuriâ sublato, in quibus re-  
perti sunt renes non obstructi, non compressi, sed molles duntaxat, flaccidique;  
ergò vel à torpidiori facto in renibus humorum circuitu, vel influxu spirituum de-  
negato. Et ostenderunt extispicia ulcere fuisse depastos renes.

Ureteres deficiunt munere, cum obstruuntur calculo, thrombo, materiâ te-  
naci ac viscidâ; cum eroduntur ulcere; cum vulnerantibus refecantur; cum à ni-  
mium distendentibus disrumpuntur, prout observatum est à *Barbette, Helvigioque*.  
Sique fuerint resoluti, naturali destituentur motu peristaltico, quo certum est eos  
lotium ad vesicam depellere, cum non depellant in vesicam satis insignes calculos  
nisi peristaltico motu, nec aliter detrudatur materia tartarea in avium genere à re-  
nibus in Cloacam.

Lotium accipit vesica ex duplici scaturigine. Si utraque fuerit interclusa, non  
mirum urinam supprimi. Sed mirum, quòd interdum interclusâ duntaxat alterâ  
scaturigine, urina supprimatur. Unde? Si ren alter phlogòst, aut inflammatione  
tumescat, totus fere sanguis, qui ad utrumque ferebatur, confestim fertur impetu  
præcipiti ad alterum, ingurgitat ductus, eosque dilatat ultra tonum, & sic vasa  
comprimit secretoria, ut nulla fiat lotii secretio.

I I.

**I**N eo, qui laborat Ischuriâ legitimâ, nequit vesica urinam expellere, vel ob ejus  
resolutionem, vel ob inflammationem, vel ob distensionem nimiam, vel ob im-  
pedimentum. Si torpuerint humores vesicæ substantiam irrigantes, ut cum quis in hu-  
midiori ac frigidiori solo decubuerit, cum frigidus hauserit liquores, & ita causis  
quibuslibet refrigerantibus, tum internis, cum externis, fuerit vexatus, ut vieta &  
viribus effæta fiat vesicæ substantia; tunc eam relaxari, sicque stimulari & contrahi  
non posse palam est. Ea quoque relaxabitur, si quavis ex causâ, quæ sanè sunt pluri-  
mæ, intercludantur spirituum ad illam fluentium viæ; ut cum insignis tumor in re-  
gione lumbari, cum vertebrarum lumbarium luxatio nervorum ad vesicam tenden-  
tium truncos compresserit. Cum verò inflammatur vesica, certum est non posse fi-  
bras ejus motrices ita contrahi, ut lotium expellatur. Cur? Quia tunc factæ  
sunt sanguine turgidiores. Eadem fibræ, si nimiam lotii copiâ vesica distendatur,  
elaterè suo destituentur, ideòque non poterunt ad expulsionem insurgere; cave igitur,  
ne animum habeas diutius negotiis intentum, aut distractum curis; cave ne na-  
turæ micturientis monitioni non obtemperes; quod enim sensim colligitur in ve-  
sicâ lotium, ut sit opportuno tempore naturæ levamentum, tibi tandem infortu-  
nium fieret. Tametsi verò & vesica benè se habeat, & quis fuerit expellendo lotio  
intentus, frustra esse possunt conatus meiendi, nimirum si adfuerit obstaculum  
quod vinci nequeat, quale fuerit aut pertinax colli vesicæ, ejusve productionis con-  
strictio, aut constipatio, aut obstructio, aut compressio. Pertinaciter constringitur  
vesicæ cervix à sphinctere validius contracto, sive quòd nimis stimuletur aut pure,  
aut acri materiâ, calculove aspero, sive quòd quâvis ex causâ convellatur. Consti-  
patur à tumoribus diversi generis, inflammatione, Schirro, abscessu, aut quibus-  
dam carunculis; harum exemplum memorabile prodidit *Th. Bartholinus*; binæ ita  
vesicæ collum obsidebant, ut clauderentur ab lotii pondere, nec nisi cathetere im-  
misso aperirentur. Obstruitur calculo, materia viscidâ, purulentâve ac sanguinis  
thrombo. Comprimitur verò, cum tumidiores factæ sunt partes adjacentes; uterus

turgidior fœtu, proſtatae intumentes, inflammata vagina vel procidens, inteſtinum rectum aut duris fœcibus diſtentum, aut obſitum hæmorrhoidibus, uterusque ſchirro, aliove tumore laborans.

## III.

**M**ICTIO adaugetur in diabete, imminuitur in ſtranguriâ; in dyſuriâ, urinæ incontinentiâ, excretionem per indebitas partes, miſtu cruento, purulento, lapidoſo, vermiſo, piloſo depravatur; abolita penitus eſt in iſchuriâ. Qui legitimâ laborat, huic pubes collectæ urinæ copiâ diſtenditur ac dolet, adeſtque, tamenſi non ſemper, meiendi deſiderium, ſummusque ſed irritus conatus eſt. In ſpuriâ verò, lumborum ſumma gravitas eſt, ac interdum vehemens utrimque dolor ex-cruciat, nulla aut minima meiendi cupiditas urget, nullaque tenſio, nullus tumor, nullumve pondus, ſed potiùs vacuitas quædam in regione pubis deprehenditur, immiſſoque cathetere liber reperitur canalis aditus, & lotium emanat nullum. Multiplices jam retulimus Iſchuriæ utriuſque cauſas, ſed immenſum foret ſingularum ſigna recensere.

## IV.

**U**RINÆ ſuppreſſio periculoſiſſima. *Niſi ante ſeptimum diem minxerint, pereunt.* Serum enim excrementium in ſanguine regurgitans nullas non inficit ejus partes, recrementitias & alibiles inquinat, ac operationes variè lædit. Hinc habitus corporis quaſi Anaſarcâ intumeſcit, varicoſæ fiunt venæ, accenditur febris, ſuffocationis imminet periculum, affectus ſuperuenit comatoſus, immanes ingruunt vomitus, cardialgiæ, ſyncopæ, Epylepſiam ab urinæ ſuppreſſione obſervavit *Zacutus*. Valentia corpora ut excurrunt diem viceſimum, ita vix attingunt ſeptimum aut octavum infirma, ſique deinde minxerint, non minùs ſæpiſſime pereunt vel febre accenſâ, corruptiſque humoribus, vel inflammatione aut gangrænâ veſicæ partiumve adiacentium. Si emittatur odor urinoſus ore ac naribus, lethale. Singultus ſuperueniens, mortem proximam denuntiat. Hæc enim enormem urinæ redundantiâ, ſuccorumque corruptionem & acredinem totalem denotant. Cognitâ cauſâ ſovente, prognôſim variam inſtitues; prout enim cauſa facilè vel difficilè poteſt amoveri, de morbo ſalutari vel lethali præſagiendum. Lixivioſas tamen ſanguinis partes nonnunquam per inaffuetas vias natura expurgat, abſque ſanitatæ diſpendio. His puella Aquileſiſ, quæ à pluribus annis non minxit, per inſenſiles ductus deſcenditur. Per vomitum ſingulis diebus eructabatur urina, ait *Horſtius*. Et, ut habet *Fernelius*, *Cuidam annum agenti trigeſimum obſtrictâ veſicæ cervicæ urina affatim tanquam emiſſione ex umbilico in multos meſes profluxit, idque citra tumorem, citrà ullam aquæ in abdomine collectionem, & citrà valetudinis offenſam.* Rationem ſtupendi huiusce caſus ſubjungit; *Quum hinc multi admiratione tenerentur, audirem verò recens in lucem edito malè vinctum umbilicum nunquam coaluiſſe, exhincque ſemper non nihil ſtillaſſe, cenſui nondum inaruiſſe urachum, & nunc illi perinde, atque dum utero geſtaretur, urinam è veſicâ in umbilicum refluere.* Jam audiamus *Platerum*; *Puella annos tredecim nata ex urinæ ſuppreſſione ſerum ex aure dextrâ affatim fluebat, quod per aliquot dies duravit, puella interim de nullo affectu conquerebatur, quouſque Diuretico-rum uſu urina per vias affuetas fuerit determinata.* Adeò diligenter unius rei defectum alia ſimili compenſat natura; hæc interdum non magis æqua, quàm cum maximè iniqua.

**C**URATIONIS scopus is est, ut procuretur mictio. Cui attingendo varia prorsus instituenda venit therapeia, pro causæ foventis indole. Hinc modo Attenuantia, Discutientia, Diaphoretica, Spirituosa, Acria, Roborantia, Diuretica calida; modo Emollientia, Relaxantia, Narcotica, Anodyna, Lenientia, Diuretica frigida; quorum omnium copiosa sylva apud Authores prostat. Cave tamen à temeratio Diureticorum usu; hæc urinam suppressisse ex Authoribus habemus. *Neque cum in vesicâ Phlegmone cœpta est, pharmaca, que urinam provocent, bibenda dabis,* Galenus ait. Nonnunquam Catheterismus est administrandus, aliquandò tamen frustra. Sed & in auxilium advocentur universalia, hinc modò Lenientia, modò Cathartica, eaque interdum potentiora ad eliminandum fomitem infartus urinæ ductuum, primarum viarum saburram, aliorumque remediorum actionem juvandam & acuendam præscribuntur: & huic scopo imperantur ad præcautionem aquæ thermales. Sed cæteris auxiliis præstat sanguinis missio, quòd non solum ad tutiorem felicioremque eorum eventum, sed etiam ad affectus prophylaxim sæpe requiratur. Imò & sola venæ sectio urinæ profluvium ferè subito procuravit, ut testes sunt *Riverius* noster ac *Tulpinus*. Idemque natura docuit, cum liberalis hæmorrhagia suppressam per dies aliquot urinam laxaverit, ut ex *Cornario* tradit *Bohnius*. Sanguinis missione solvitur plethora, liberantur à nimia distensione, & partium adiacentium compressione renum vasa, fibris vesicæ motricibus elater pristinum restituitur, funestæ præcaventur inflammationes, novusque paroxysmus; lotium secernunt renes, ureteres transmittunt, expellit vesica; mingit ægrotans.

ERGO Ischuria vena sectio.

DISPUTATORI.

PROFESSORES REGII,  
 R. D. Franciscus Chicoyneau,  
*Cancellarius.*  
 R. D. Joannes Chastelain, *Decanus.*  
 R. D. Petrus Chirac.  
 R. D. Petrus Magnol.  
 R. D. Antonius Deidier.

PROFESSORES REGII,  
 R. D. Petrus Rideux.  
 R. D. Antonius Magnol, *Patris*  
*Coadjutor.*  
 R. D. Petrus Chastelain, *Patris*  
*Coadjutor.*

DOCTORES AGGREGATI.

R. D. Henricus Haguenot. R. D. Joannes-Henricus Haguenot, *Patris Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARI, I.

M. Eustachius Marcot. M. Antonius Fizes.

Propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis fano JOANNES - GREGORIUS PALTZEL Trevir, Artium Liberalium Magister, & jamdudum Medicinæ Studiosus, ab horâ octavâ usque ad meridiem, Die mensis Martii 1710.